



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 41. in ebriosos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

S. IO.
Oetias
dicitur vae
hypocritis
Matth. 23.
à v. 13. ad
29.

mes est, triennali fame torqueatur.
O hypocritæ! ò pharisæi! ò scri-
bæ! extremum nunc ego vos allo-
quor, vos inquam, qui devoti cum
Saule, benevoli cum Abfalone, ju-
sti cum Achabo, liberales cum
Herode, continentes cum Antio-
cho, sobrij cum Juda, mansueti
cum Achitophele, veraces cum
Anania apparere vultis, sed non
esse; impij, seditiosi, injusti, a-
vari, obscæni, ebrij, crudeles, men-
daces esse vultis, sed non videri; aut
apparete quod estis, aut estote quod
apparetis. *ecce ante humanos oculos
aliud ostendit vita vestra*, Gregori-
um Magnum audiatis in c. 40. Job, &
ante divina judicia aliud ostendit a-

nima & conscientia vestra. Incor-
ruptus ille Judex qui pro omnibus
electis octo beatitudines assignavit,
octies vae unicâ dictione contra hy-
pocritas protulit, ut sicut Cœlites
non tantum tērque quaterque bea-
ti, sed ut octo sunt beati, ita vi-
cissim hypocritæ plusquam ter,
quaterque miseri. *vae vobis scri-
bæ & Pharisæi hypocritæ!* infelices
ut octo, scelerati ut octo, ex-
carnificandi ut octo, vae
vobis! vae! octies
vae!

* * *
* * *
* * *



PHILIPPICA XLI.

In ebriosos.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Saturati sunt. Marc. 8. v. 8.

S. I.
Cur Chri-
stus vinum
populo
non appo-
suerit.



Proverb.
31. v. 6.

um perfecta DEI
sint opera, scire
percuperem, cur
Dominus quater-
na virorum millia
solo pane saturasse
scribatur, non au-
tem vinum suppeditasse, ut gaudi-
um esset plenum. si enim sicera dan-
da est ex sapientis consilio mœren-
tibus, & *vinum his, qui amaro sunt
animo*, cur populo triduanâ fame
affecto, multisque (quis dubitet?)
confecto mœroribus ac amaritudi-
nibus vinum non datur, quod læ-
tificat Deum & homines? si rebel-
libus Israëlitis mel de petra & ole-
um de saxo durissimo in potum pro-
fluxit, cur fidelibus Christi affectis
ex viva petra & vite vera, qui ipse-
met Christus est, vinum non pro-

pinatur? in Cananæis nuptijs pau-
culorum gratiâ hospitum aquam in
vinum convertere & valuit & vo-
luit, cur in tanti populi grati-
am aquam in vinum transmutare
non placet? non novi equidem sen-
sum Domini, nec consiliarius e-
jus fui, si tamen effari mihi licet,
quod in Domino libet, audacter as-
severo, ideo potius mentionem non
fieri, quia qui saturati sunt, idumæi
non Alemanni fuere, his enim sic-
cum convivium non suffecisset nec
sapuisset solus cum pisciculis panis
(etsi hic sedandæ vim sitis habuif-
set) nisi & vinum Dominus suppe-
ditasset, in quo scilicet vino pisci-
culi natate gaudent mortui, sicut in
aquis natitare amant vivi. Verum
aliud fuit divinæ sapientiæ consi-
lium, vinum promiscuo populo id-
cir-

circo non propinantis, nè tanto è numero vel unicus esset, de quo scribi posset: *inebriatus est*, sicut de universo populo dicitur: *saturati sunt*. Mutavit fateor Canæ in nuptijs deficiente vino aquam in vinum, sed amicis vinoque assvetis, & ijs de quibus Elogiographus ex vero scriberet gustatum potius quàm potatum fuisse, sicut de architriclino Evangelista asseverat: *ut autem gustavit*, non verò potavit, neque se inebriavit *Architriclinus*. Contra helluones itaque & nominis nostri diffamatores, de quibus quotidie verum est dicere: *Saturati sunt, inebriati sunt*, vino zythove sepulti sunt, utinam dicam tam feliciter, ut hæc mea dictio vim habeat ovinotivæ, quod sumptum illicò appetitum omnem, vimque vini bibendi penitus extinguit.

Joan. 2. v. 9

§. 2.
Cur Germani ad
componendum
propensiores.
S. Chrysostomus
homil. 57.
ad pop.

Quod Chrysostomus olim de popularibus suis græcis vitio ebrietatis nimium quantum deditis pronuntiavit, id de germanis nostris repetere cogor: *commune est hoc generis nostri opprobrium*; helluari & pergræcari erat olim hellenismus, hodie factus est germanismus. Vendum porrò, nè sicut universa Græcia iusto Dei iudicio in prædam cessit illi populo, qui vites excindit, vinum abominatur, ebrietatem pro extremo habet dedecore, ita & Germania eidem Ottomanicæ genti cedat in possessionem propter intolerandum, quod passim inolevit vitium ebrietatis. Certè capros à Turcis germanos inebriari, ebriosque explodi ac trucidari accepimus in opprobrium gentis nostræ, hostium verò excitamentum ad fortiter pugnandum adversus illos; qui tam facile sepeliuntur. Et cur quæso præ alijs nationibus germani ad ebrietatem tantoperè propensi? quia nimirum *germani* seu fratres esse volunt, & non domi suæ,

sed in tabernis potare, potandoque sancire amicitias, contrahere fraternitates, stabilire germanitates, & hoc laudi amanti ducere, si quàm plurimæ maximæque epotentur sanitates, ò si novus in Germania imperet Claudius, qui tabernas omnes & claudi & demoliri jubeat! ò si Christianissimorum Regum Caroli IX. & Henrici III. edita Germaniam quoq; adstringant, quibus sub gravi cavetur nullatenus quinquam civium tabernam subire, nisi peregrinum eò deducat. Est fateor in Augustanis statutum comitijs anno millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, nè principum ulli aut patrifamilias domi suæ liceat urgere ad haustum, aut instituere compotationes, verum quod domi non licet minus in cauponis propalam audendum esset. facit occasio furem, facit cauponopotatorem, facit societas ebriosum.

At vae huic reproborum societati, contra quam protestatur Paulus, ante Paulum Vates Evangelicus, ante hunc Regum sapientissimus. *cui vae? nonne his qui commorantur in vino & student calicibus epotandis? prov. 20. vae qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem, propterea dilatavit infernus animam suam & aperuit os suum absque ullo termino Is. 5. neque ebriosi regnum Dei possidebunt* 1. cor. 6. Excommunicant sacri Canones & proscribunt ebriosos ab Ecclesia, quæ est in terris, excommunicat divina justitia ebriosos ab Ecclesia triumphante, quæ est in cælis. Nec excluduntur solummodo cælesti gloriâ, sed profundissime damnantur in gehenna. factum est hoc nuper in provincia Barnicionum, ait auritus testis Beda lib. 4. histor. Angl. c. 15. ut ebrietati deditus Monachus ad extrema deduceretur, cum ecce convocatis fratribus

mul-

§. 3.
Ingentes
pœnæ con-
tra ebriosos statu-
tæ.

multum mœrens, damnato similibus narrare cœpit: video infernos apertos & sathanam immersum in profundum tartari, Caipham quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum juxta eum flammis ultricibus contraditum, in quorum vicinia, heu! heu misero mihi locum aspicio æternæ perditionis esse præparatum. Adhortabantur quidem circumstantes locum adhuc esse spei, tempus superesse misericordiæ, nondum omnino de salute, quàm diu vitæ terminus confectus non est, desperandum; sed surdo consilia. non est mihi modò tempus vitam emendandi, exclamabat moriens, cum ipse viderim iudicium meum jam esse completum. Hæc repetens obiit, & ad profundissimum tormentorum locum, ubi Deicidæ torquentur, infelicissimus abiit. Juste Deus! ergone Lucifero proximi & Caiphæ pares sunt ebriosi ita omnino est, quia sceleri non uno, sed omnibus se adstringunt, qui abominando huic vitio assueverunt.

§. 4.
Ebriosi sūt
exleges
violantq;
totam legem.

Placuit gentilibus Bacchum vocitare *Liberum Patrem* & cornua appingere, eò quòd ebriosi omnia sibi licere autument, atque effrenum instar taurorum & cornupetarum divinas humanasque leges impetant, evertant, conculcent. Moysen observavere Chrysostomus & Hieronymus post quadragesimale jejunium cum tabulis Decalogi è monte reducem, ut populum ebrium, vidit, tabulas abjecisse, quia ut loquitur Chrysostomus, absurdum esse existimavit, si legem Dei populo ebrio afferret, à quo certò certius infringenda erat. *fregit audacter tabulas*, inquit Sanctus Hieronymus lib. 2. contra Jovin. *sciebat enim Dei sermonem audire non posse temulentos*. Et hanc ego germanam esse causam iudicem, cur in Decalogo expressis verbis ebrietas non no-

minetur, quia videlicet totum Decalogum facillimè violant ebriosi.

Et primi quidem præcepti reos illos pronuntiat Apostolus, vocatque inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, *quorum Deus venter est*, ad Philip. 3. v. 19. ventrem pro Deo (ò cæci idololatæ) ebriosi colunt, cui vinum libant, rationem immolant, vitam devovent, deteriores gentilibus, qui Baccho, aut Philisthæis qui Dagoni impiè sacrificabant. quando Israëlitaæ tergum Deo vivo & vero vertentes in turpissimam idolomaniam prolapsi sunt? nunquid cum federunt manducare & bibere & surrexerunt ludere: ludere, hoc est, vitulari, idolum adorare, Deo renuntiare; sic luditur ab ebrijs, & per modum lusus gravissimum quodque scelus patratur. Nec sinè insigni mysterio meribibulos sobria Anna filijs, Belial, hoc est *absque iugo* assimilavit, quia scilicet omne divinæ legis jugum facile excutiunt omnes, *qui ebrietatem sectantur, filij Belial vocantur* Sanctus Hieronymus in reg. Monach.

Ebriosi.
dololatæ

Secundum præceptum blasphemis & maledicis linguis subverti, quotidianà docemur experienciã, & hiscè auribus cogimur audire. Ex sanguine gigantum vinum progeneratum esse finxit antiquitas, quòd videlicet ex impiorum illorum propagine descendant, qui vitium propagine plus æquo adamantes in abominandorum propagine vitiorum succedunt. Balthasarem, blasphemum ore Deum Deorum in Si-on laceffivisse prius non invenio, quàm cum temulentus vasa aurea Solymæi spolia templi afferri mandaret, laudaretque Deos suos in opprobrium scilicet Altissimi.

Ebriosi.
blasphemi.

Tertij præcepti: *memento diem Sabbathi sanctifices* penitus obliviscuntur, qui Dominicos festosque dies

Ebriosi
profanatores
festorum.

dies comotationum gratiâ institutos arbitrantur, nec se festivè vixisse censent, nisi ad ebrietatem usque hauserint, & in se ipsis filium Dei denuò crucifixerint, iterumque vinum felle mistum porrexerint, deteriores omnibus iudæis, qui licet forent impijssimi, reveriti tamen sunt die festo infestas Christo manus injicere. *non in die festo.* & cur id ipsum non repetit Christianus, quoties die Dominico vel festo ad ebrietatem stimuletur: *non in die festo, absit fratres* (Augustinum recito tractat. 4. in Ioann.) *ut illos dicamus observare sabbatum, qui ad luxuriam & ebrietatem observant.*

Marth. 26.
v. 5.

Ebriofide,
honestatores
parentum.

Et sicut ebriofide sanctificant, ideo & patrem matremque nullatenus honorant, sed maculam nomini eorum inferunt, lachrymas excutiunt, curas accumulunt, mortem accelerant. Primum irreverentiæ & desolationis actum in Absolone adversus Patrem regium animadverto, cum importunis precibus invitum Davidem ad convivium invitavit, nec desistit, dum pro patre fratres omnes impetraret, ut primogenitum deinde Amon in convivio inebriatum morti & orco immolaret, utinam hæc eadem aut ista crudelior non renovaretur tragædia. *ecce hodie* inquit Sanctus Augustinus ser. 33. ad fratres in eremo, *ebrietatem perpessus Matrem pregnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, duas sorores vulneravit ad mortem.* hi sunt ebrietatis partus, & concatenati scelerum fructus, non tantum inhonorare, sed occidere, & quod occasione sceleratus est, opprimere parentes.

Ebriofide
homicidæ.

Præceptum quintum *non occides,* cum creberrimè ebriofide violent, nihil mirum violentâ eosdem morte sæpè numero interire. occidit Herodes Joannem, ebrius sobrium,

occidit Juditha Holofernem, sobria ebrium, occidit Alexander Clitum, Nero Britanniam, ebrius sobrium, sic perimunt & pereunt ebriofide. *Bibite & inebriamini & vomite & cadite, neque surgatis a facie gladij, quem ego mittam inter vos.* Jer. 25. Laudatissimus Legislator Solon multandum morte principem sanxit, qui temulentus deprehenderetur. cum enim a temulento nil nisi cædes expectari debeant, prævenire satius duxit Solon, quam præveniri. Indorum consuetudo fuit, ut si qua mulier Regem ebrium interficere potuisset, in præmij vicem successori desponsaretur. tam absurdum est vitium ebrietatis, ut non nisi femineâ manu plectendum videatur, velut Sisara Juhelis manu plexus est. Romani in convivij versatilem apponebant calvariam, non ideo tantum, ut immoderato haustu mortis se victimas fore meminissent, verum etiam, ut morte dignos declararent, qui potio rem hominis partem, rationem inquam, ebrietate interemissent. Sepelivit Zenonem ebrium uxor Augusta, interemit ebriosum Phocam Heraclius, quod is populi probrum ferre non potuisset in clamantis: iterum Phoca bibisti, iterum mentem amisisti, plurimosque idcirco poenâ capitis multasset, interemit inquam Heraclius Phocam cute per dorsum detractâ, dexterâ & pedibus truncatis, capite præciso & cadavere per boarium forum tracto & exusto, acclamante intereâ præcone: *hoc meretur ebrietas.* occidit ebrietas, occidatur ebriosus. occiderant duo ebrij milites, ut habet Procopius de bello Wandalico c. 1. commilitonem, quos Belisarius impalari vivos iussit, inquiens: multiplici morte digni sunt, quia ebrij & commilitonis occifores. juvat iterum meminisse rebellis in deserto po-

populi Israëlitici, de quo Exod. 32. v. 6. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Sedit populus & surrexerunt sedit unanimis & pacificus, surrexerunt, discordes & xosi, sedit populus fidelis, surrexerunt idololatræ. Sic hodièque inter combibones agitur, sedent amici, fratres, unum cor & anima, surgunt hostes, latrones, canibus & cattis infestiores; sedent ut homines, surgunt ut bestiaë circeo poculo potatæ; sedent simul bibere & vivere morique pro se invicem parati, surgunt in mutuas cædes & funera jurati; nimirum præceptum quintum ebrietas occidit.

Ebriofum libidinofum.
S. Basiliius hom. de ebrietate.
S. Hieronymus in regul. Monach. & ad Eustoch.

De sexto præcepto quid dicam? loquatur Basiliius Magnus: *ebrietas impudicitiaë est mater.* loquatur Sanctus Hieronymus: *venter mero æstuans facile despumat in libidinem, si quid in me potest esse consilij, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat proveneno.* Loquatur gentium Doctor: *nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Notissima est de Ægyptio Eremicola historia, cui dæmon promiserat, omni posthac tentationum genere liberum fore, si vice simplice in unum ex tribus sceleribus consensisset, homicidium scilicet adulterium, aut ebrietatem; stupidus verò Eremita ebrietatè præelegit, ex qua in adulteriū, & ex hoc in mariti superveniētis homicidium turpissimè est prolapsus. Nihil hoc omninò novi est, pleni sunt exemplis libri. Noë ad unius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Loth per temulentiam nesciens libidine miscet incestum, & quem Sodoma non vicit, vina vice-runt. Hæc Hieronymus. Audet dicere Ambrosius castissimam Juditham nequaquam futuram fuisse castam, si de vino, quod Holofernes

S. Ambrosius lib. de viduit.

eidem apponi fecerat, bibisset. Si Judith bibisset dormisset cum adultero Rursus Ambrosius in c. 19. Genes. *quæ sobrij carvemus, per ebrietatem ignorantes committimus, semper hæc duo sociata sunt: inebriaberis atque nudaberis* Thren. 4. v. 21.

Contra septimum præceptum convescere ebriosos ambigi vix potest, cum enim ingluviei alendæ propria non suppetunt media, ad furta convertuntur, qua ex causa Corinthij teste Athenæo lib. 2. c. 5. ebriosos, de quorum pauperie aliunde constabat, carnifici tempestivè necandos tradebant, quod aut fures essent, aut furibus participarent. Demus tamen furtum omne & furti suspicionem procul ab ijs abesse, nihilominus à furum censu absolvi non possunt, cum substantiam eam abliguriant, ex qua vivere complures possent. Legem sanxerat Laertio teste lib. 1. c. 5. Pittacus unus è septem sapientibus, ut qui per temulentiam sceleris aliquid admisisset, duplici afficeretur poenâ, eò quod non in seipsum modò peccaret, sed in universam Rempubicam, cui detrahitur, quod in abdomen turpiter prodigitur; & ecce advertere non diu post licuit, insulam totam, non duplo tantum, sed decuplo abundasse vino, cujus antè penuriam pati cogebatur. Illustrissimum Germaniæ principem narrat Majolus ex jactabundo nescio quo thrasone accepisse, integram cerevisiæ urnam intrà pauculas horas evacuare posse, cujus jactantiæ veritatem cum spectavisset princeps, helluonem pro præmio affigi illicò infami cruci iussit, dictitans iniuriam ab ejusmodi spōgia fieri hominibus, adeoque hos inter vivere minimè debere, nè exhauriendo tantum quotidie, quantum vix alij viginti, potius denique penuriam induceret.

Ebriofum furiosum, mendaces & concupiscentijs obnoxij.

Octa-

Octavum præceptum à temulentis violari adeò certo præjudicio invaluit in tota Hispania, ut teste Serrario in c. 4. Judith, testimonium dicere nunquam permittatur, qui vel semel vitio huic obnoxius fuisse convincitur, nimirum vinofum & dolosum esse æquipollens est. De nono ab ebriosis violari solito, testem habeo Deum ipsum Jeremiæ ore sic locutum c. 5. *satura vi eos & mæchati sunt, in domo meretricis luxuriabantur, emissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* nimirum ut Valerius Maximus lib. 2. c. 1. advertit: proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse confvevit. Denique cum ebrioforum oculi duplicia omnia vident, atque ut proverbio loquimur, ventre ipso majores sint, nil mirum, quòd decimum non observent præceptum, sed quotquot vident cantharos, pocula, vitra proximi sui, imò & vineas integras cum Achabo concupiscunt, non destituri ab hac infania citius dum in profundum devoluti barathrum affocierunt Epuloni Evangelico Luc. 16. Israëlitis post epulum & idololatricam à Levitica tribu occisis Exod. 32. Philisthæis convivoribus à Samfone interemptis Jud. 16. Amalecitis de iniqua præda tripudiantibus & epulantibus à Davide trucidatis 1. Reg. 30. Balthasari denique & Babylonij in sacrilego convivio à Persarum Medorumque exercitu deletis Daniel. 5. conjungantur.

§. 5.
Ebriosi
brutis animalibus
longè detiores.

O ebriosi! qui vos *demoni vohuntario*, ita ebrietatem Basilii (hom. de ebrietate) appellat, toties immolatis, nulla ergò vobis imposterum cura animæ vestræ, quam ad Dei imaginem creatam, vos bestialem in formam deformatis; quid fœdus, quàm ut homo bruti ani-

malis imago sit? *quantò melior ebriosis est asinus & canis, nam quodlibet horum animalium & omnium aliorum si sit opus bibere, necessitatis terminum novit, nec ultra quod est opus progreditur, licet sint infiniti qui cogant.* Vos ergò brutis deteriores estis, ita Chrysostomus hom. 71. ad pop. Augustinus verò 231. de temp. *considerent ebriosi si non peiores animalibus judicandi sunt. cum enim animalia amplius, quàm eis opus est bibere nolint, illi & duplum & triplum quàm eis expedit, totum accipiunt.* nulla nobis cura sanguinis Christi, quo redempti & palti, eundem pollutum ducitis, conculcatis, & fœdissimo vomitu vestro conspurcatis! nulla vobis cura epuli cœlestis, quod ebriosos non capit, nulla cura ignis æterni, cui vos siccandos & assandos faginat, nulla cura vitæ famæque, quam turpissimè prodigitis! quousque insonabit vestrum illud perversum *propino*, quod olim ad petendam mutuò benedictionem proferebatur, nè haustus noceret, ut nocuit filiis Job, quos *si precantes & potum sibi invicem benedicentes diabolus invenisset, nihil contra eos efficere potuisset*, ait Origenes in catena.

Sed furdus ego ista! lapidibus ego ista! obrigescunt enim ut Nabal, & blasphemus ille helluo anno 1580. in Neckersdorff Neckaricum hornum & crudum DEO ipsi propinare ausus obriguit; absorbentur à vino infelicius, quàm Pharaonis exercitus à mari rubro, aut Georgius Eduardi IV. Regis Anglorum frater Clarentiæ comes, ob læsæ crimen Majestatis mortem sibi eligere jussus, vas Malvatici elegit, in eoque absorptus est. *absorpti sunt à vino* II. 28. non tam forbuerunt vinum, quàm à vino absorpti sunt & ita absorpti ut jam non homines sed inferni sint idola. *quid*
Ee quæso

§. 6.
Ebriosi
pene desperati.

Basil. ma-
gnus hom.
de ebriet.

quæso sunt ebrij, quàm gentium ido-
la: inquit Basilius oculos habent & non
vident, aures habent & non audiunt,
pedes habent, & ambulare nesciunt,
ut aqua ignem extinguit, ita vinum
extinguit rationem, & ut aqua ma-
ris naves, ita liquor vitio homines
abligurit. frustra inquam ego tali-
bus talia, vivere enim videntur &
mortui sunt, vel ut Sanctus Hiero-
nymus in c. 5. ad Gal. *ebrius homo
nec mortuus est, nec vivus*, Balthafari
illi simillimus, qui licet digitos Dei
scribentis vidisset, scripturæ inter-
pretationem & cladem imminen-
tem audivisset, inferni amaritudi-
nem in corpore suo colliso prægu-
stasset, nihil tamen motus, nihil e-
mendatus est, ad arma non surre-
xit, ad preces & veniam petendam
non se prostravit, nec linguam nec
digitum supplicè ad Deum extulit,
sed obstinatus in scelere impiam cū

vino & sanguine animam orco in vi-
timam evomuit. Tale nimirum
ebrietatis flagitium est, ut insanabile
videatur, ideoque veneno aspidum
componatur Deut. 32. *fel draconum
vinum eorum & venenum aspidum
insanabile*. in quæ Ambrosius: *pul-
chrè additur insanabile. multi enim
reliquorum serpentium veneno cu-
rantur, nemo ebrietate*. Mortè si vi-
deant, infernum patulum si aspici-
ant, epulonem ex flammis si audiât, &
bibamus, nihil movebuntur, sed sese
animabunt; *comedamus* II. 22. *& cras
moriemur*, imò jam mortui & in in-
ferno sepulti digni cœnotaphio il-
lo: *propter est est est*, & hic & iste &
maximus mortalium numerus
ante tempus mortuus est, re-
probatus est, damna-
tus est.

S. Ambro-
sius lib. de
Elia c. 14.



PHILIPPICA XLII.

In Divinatores.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite à falsis Prophetis. Matth. 7. v. 15.

§. I.
Plurimi
in mundo
pseudo-
prophe-
tæ.



Prophetæ falsi omnes
illi Magistri errorum
sunt, qui scilicet, ut
ait Paulus Rom. 16. v.
17. per dulces sermo-
nes & benedictiones
seducunt corda innocentium, qui
viam ad cœlum facillimam ster-
nunt, deque beatitudine æterna
securos reddunt, quasi idcirco Chri-
stus habeat in capite spinas, ut ipsi
sub pedibus rosas. hi sunt, qui col-
ligunt de spinis uvas, de tribulis
ficus, dum ex spinis, flagris, cruce,
& morte Christi omnem suæ sibi fa-

lutis securitatem pollicentur, &
quamlibet vitæ indulgent liberta-
tem, conanturque has doctrinas
obvelare textibus scripturæ male
intellectis, ita ut Tertullianus vocet
scripturam *Librum hereticorum*,
siquidem nulla hæcenus hæresis
fuit, quæ non scripturarum folijs
suam texerit malitiam. Falsi pro-
phetæ sunt politici, qui vitia sua
palliant amiculo virtutis; hi sunt,
qui liberales se fingunt, ut avari-
tiæ obsequantur, dicunt se velle
promovere religionem, ut regio-
nem occupent, sicut Saul 2. Reg. 21.
fin-